

1498  
*Turcarum  
regis appa-  
ratus in Ve-  
netos.*

bus allatum , a Turcarum rege classem non spernendam comparari , Andream Zancanum Senatus legatum ad illum misit . Causa mittendi fuit , quod timebat Bajafestem in rempublicam cum aliis de causis incensum , tum propterea quod Nicolaus Pisaurus classis legatus navem onerariam unius ex regis ducibus , quos illi *Bassas* appellant , & statis exitu in Aegeo depresso , bellum facere Venetis instituisse . Ea res autem sic acciderat . Dum Nicolaus apud Mitylenem cum triremibus quatuor iter faceret , & navi onerariæ bellicæ militibus , tormentis , reliquisque rebus omnibus ad pugnandum idoneis instruëtissimæ amphorarum plus trecentarum , quam vento ferri viderat , appropinquavisset : vela uti demitterent , vectores admonuit . illi autem non vela modo non demiserunt , sed pilis ferreis tormentis emissis Nicolai præfectum interfecerunt , ac nonnullos ex remigibus fagittis celeriter conjectis vulneraverunt . Quod ubi fieri Nicolaus vidit , arma suis uti caperent imperavit , atque in navem Thraciam impetu facto , eam expugnavit , cumque omnibus qui pugnæ superfuerant , depresso . Erant ea in navi homines circiter ducenti quinquaginta . Zancanius Byzantium profectus magnum quidem classis apparatum institutum cognovit : a rege tamen nullo ostendo in rempublicam offensi animi indicio , liberaliter est acceptus . qui cum reipublicæ bellum facere decrevisset , existimans , propterea quod ei Ludovicus receperat eodem se tempore bellum in Gallia reipublicæ illaturum , hostibus eo ab latere occupatis omnia sibi prospere atque feliciter cessura : ut magis Venetos eluderet , fœdus quidem cum Zancanio renovavit : sed fœderis capita latinis scripta literis ei dedit . Est autem in eorum legibus , ut quæ suæ linguæ verbis scripta non sunt , ea præstari non sit necesse . Erat tum Byzantii civis Venetus Andreas Grittus , qui mercaturam ea in urbe annos complures exercuerat ; vir faciei elegantia , corporisque pulchritudine , qua inter Venetos suæ tempestatis omnes facile præstitit , & morum gravitate ac liberalitate insignis , eique nationi apprime atque